XXVIII.

Jahresbericht

der

Realschule erster Ordnung

zu

Siegen,

womit zu der am Freitag den 7. April 1865 abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

einladet

Dr. Carl Schnabel,

Director der Realschule.

Inhalt:

Siegen, 1865.

Druck der Vorländer'schen Buchdruckerei.

Religio apud Graecos quam vim habuerit ad conformandam ingeniorum culturam.

Librorum quibus docetur, qualis Graecorum religio fuerit et quae poeta quisque, philosophus, historiarum scriptor de rebus divinis senserit, numerus vix potest iniri: rarius altera tractatur quaestio, haec religio quam vim habuerit ad conformandam ingeniorum culturam. Atqui velut sermonis usus non magis una cum hominum mentibus perpolitur, quam lumen affert eisdem mentibus ad humanitatem educendis, ita religioni etsi pro cujusque [1]) nationis indole et nascitur et mutatur, talis quaedam vis inesse haud immerito creditur. Graecorum et universa natio religione quodam modo edocta et educata est,[2]) et praecipue artium quas proprie dicimus disciplinae illa aliquantum, nonnihil etiam litterarum doctrinae incrementi ceperunt. Tres igitur partes hujus libelli distinguuntur.

I.

Nulla non ad ea mentem conducit religio, quae sensibus non percipiuntur. Cujus generis sunt causae quibus quaecunque videmus facta sunt et unumquidque regitur et mutatur. Eas cum ad deorum multitudinem Graeci referrent, magna varietas orta est *μύθων* vel fabularum, quae a poetis iterum atque iterum narratae cujusque in succum et sanguinem vertebantur. In quibus quam multa quamque vehementer reprehensa sint, notissimum est. Tamen ad educandam Graecorum nationem multum eaedem contulerunt. Quemadmodum infantes per suaves fabulas disciplinae sensim assuescunt, sic Graecorum ingenium fabulis per religionem ortis quasi se ipsum edocuit. Quamquam Francisco Bacono nescio an nemo hodie assentiatur, *μύθους* ab hominibus sapientibus inventos putanti ad praecepta quaedam vulgi mentibus inculcanda. [3]) Eorum quae statuit nonnulla propius ad Euhemeri somnia quam ad verum accedunt. Haec autem quo tempore apud ipsos Graecos invalescebant, certe religio culturae animorum non multum profuit. Nonnisi paululum acuminis requirebant deorum „formae in nova corpora mutatae“, hominum scilicet sapientium et fortium; contra adducebantur hac doctrina homines, ut philosophia funditus haurienda abstinerent, contenti si quidquid difficilius videretur intellectu, primoribus tantum, ut dicitur, labris gustassent. Sed quia, ut ait Cicero, [4]) hac doctrina tota religio penitus tollitur, plura de ea dicere opus non est. Quaenam vero fabularum utilitas fuerit, restat ut ostendam.

Constat inter recentiores Jovem initio coelum significasse. Mox tamen Graeci coeperunt non ipsum coelum, sed prosopopoeiam quandam vel spiritum solutum qui illud gubernaret, venerari. Ita discebant rem ipsam ab imagine vel notione quae mente concipitur, distinguere. Hermes, nisi temere quidam Indorum Sarameyam comparavere, simul custos nubium, quae sunt vaccae coelestes, et gregum dux fuisse videtur, ut de aliis muneribus taceam. Ita mens conatur, quae in diversis similia sint, reperire et complecti. Interdum contra, cum eidem rei possent compluria tribui, fecerunt

Graeci ut, quae primo ejusdem dei fuissent nomina, diversis diis darent. Exempla sunt tum Sol, Apollo,[5]) Perseus, Bellerophontes,[6]) tum Selene, Artemis, Io,[7]) Helena,[8]) tum Vulcanus, Prometheus. Praeterea peregrina numina in usum suum convertendo Graeci ingenia excolebant; quae enim in illis placebant ab iis, quae cultu indigna vel ab usitatis nimis aliena videbantur, distinguenda et separanda erant. Sic Asiatica Aschera (Mater magna) partim in Aphroditen conversa, partim cum Cerere et Junone conjuncta, partim Cybeles nomine culta est, ita ut venustas, amor, gratia a concubitu, fertilitate, matrimonio sejungeretur. Astarte quae in oriente partim Ascherae opponebatur, partim cum ea confundebatur, tum Athene Phoenissa,[9]) tum Artemis virgo (Ephesi culta), tum Enyo quoque (Bellona) esse videbatur.[10])

Ita religio Graecis primam disciplinam praebuit dialectices, principia philosophiae popularis, scientiae videlicet philosophicae nondum adnumeranda. Tollebat eadem animos a rerum natura ad alium mundum qualemcunque, superiorem certe ut credebatur, menteque percipiendum. Praeterea de vita quoque animoque humano cogitare docebat, et ea quidem quibus utrique rei multum adderetur dignitatis.

Sacra apud Graecos celebrabantur occulta, ad quae initiati tantum admittebantur, mysteria idcirco dicta, altera Dionyso Zagreo Orphicorum nomine, altera Eleusinia Cereri et Proserpinae. Negavit Heynius[11]) mysteriis hominum animos veritatis luce illustrari potuisse. Sed neque istud iis propositum erat, sed hoc potius, ut initiatorum animos de statu post mortem futuro certiores facerent et per spem alterius vitae timore mortis liberarent. Doctrina enim apud utraque vulgabatur, animum et ante corpus exstitisse et post mortem immortalem esse avolaturum. Eam Orpheus ab Aegyptiis, ab illo Homerus mutuatus esse Diodoro videbatur, nec hodie desunt qui perantiquam inter Graecos eam fuisse et postea tantum renovatam putent. Alii etsi dubitant fueritne Orpheus annon, hoc pro explorato habent, doctrinam, de qua loquor, jam ante Pisistrati aetatem et theologos Pythagoreos invaluisse.[12]) De lustrationibus et sacrificiis, de caerimoniis et laetis pervigiliis vitam beatam imitantibus, de choreis, cantibus, coronis, de myrtetis et pratis, de tibiis et taedis fusius loqui huc non pertinet. Neque nunc dijudicare possum, num recte Curtius[13]) severiorem de vita sententiam quae primum apud Hesiodum invenitur, partim oraculo Delphico deberi arbitretur. Merito certe monuit, illam persuasionem non solum moribus sed etiam culturae et doctrinae prodesse.

Praeter haec mysteria maxime salutaria fuerunt alia quaedam sacra eodem nomine interdum appellata, quae cum furore insano celebrabantur, ideoque hominum mentibus et moribus nil nisi damnum attulisse videntur. Curetum dico et Corybantium ritus tum Jovi Cretico, tum Matri Deum sacros, quorum quantum a Phoenicibus vel aliunde allatum sit nunc non quaero. Nescio an apud Phryges et Graecos saltationes illae strepitusque tibiarum quibus mentes et sacerdotum et cultorum perturbabantur, id sibi voluerint, ut impetuoso quodam precandi modo numinis voluntatem eo citius inflecterent, quemadmodum Baalis sacerdotes vociferantes et circa aram saltantes[14]) et cultris se pungentes deum suum invocasse, ut se exaudiret, traduntur. Sed praeterea voluptate quadam affici homines videntur, cum extra se raptos et mente labentes se sentiant.

Bacchi quoque sacra Thracia saeva et ferocia fuerunt, dum ab Orphicis, ut videtur, purgata sunt. Cum vero non multum ab illo ὀργιαστικῷ vel Bacchico is furor differre videretur, quo homines, afflati divino spiritu sibi visi, carmina vaticinantia effunderent, juxta Apollinem et Bacchus fatidicis sanctus habebatur. Venio ad divinationem; quae cum sine hominum credulitate quadam esse non possit, superstitionis nonnihil Graecorum religioni conjunctum fuisse non est cur mireris. Qui quidem cum in rebus profanis et physicis creduli fuerunt,[15]) tum de simulacris templisque et sacris arboribus fabulas finxerunt; multa etiam sacerdotes eorumque socii ad decipiendum vulgus commenti sunt. Cujus generis fuere tres istae pelves vel amphorae, quae Elide obsignatis foribus

non semel vino complebantur, nec non vinum quod Andri quotannis e Bacchi templo sponte effluebat.[16]) Talia ergo miracula annua sive sollemnia erant; reperiuntur apud historicos subita quoque et singularia portenta, uti quod pugnae tempore Leuctricae in templis Thebanis accidit. Addenda sunt quae falso cum rebus humanis conjunguntur in rerum natura, solis et lunae defectus, fulgura, arcus coelestes, avium denique volatus et victimarum extispicia. Haec interpretari vatum erat et sortilegorum, qui temporibus heroicis summo honore erant, posteaquam Delphici oraculi crevit auctoritas, nonnisi tenues homines privatim sapientia sua juvabant. Belli duces, ut Xenophon, divinationi multum tribuerunt; et ille quidem sponte, alii imperii gratia. Nulla enim res, ut Q. Curtii[17]) verbis utar, efficacius multitudinem regit quam superstitio: alioqui impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret. Somniorum ea maximi habebantur, quae in Aesculapii templis accepta erant, mendicique ibi morabantur, qui illis interpretandis quaestum faciebant. Longissime ab hominis liberalis ingenio ea superstitio abest cui *δεισιδαιμονία* nomen erat. Floruit autem tum maxime, cum prisca pietas paene evanuerat. Ignaviam quandam fuisse Theophrastus[18]) auctor est ad deos pertinentem, quasi inimici maligni essent mala innumerabilia minantes; quae ut vitarentur, sexcentae res futiles, inanes, ineptae[19]) faciendae videbantur. Maximam fuisse hanc stultitiam apparet, quoniam vel Plutarchus pius deorum cultor atheum, modo frugi sit, *δεισιδαίμονι* praefert.[20]) Peregrinam etiam hanc labem fuisse nomina docent Sabazii,[21]) Deae Syriae, sabbatismorum, *ἀλλοκότων προςκυνήσεων* a scriptoribus memorata.[22])

Vatum igitur artes mox despectui[22a]) habebantur nisi religione vel cultu sancitae. Hoc vero ita interdum fiebat ut femina vates (ne humana sapientia edocta videretur) in fano afflatum dei exspectaret, id quod in Lycia praecipue mense Thargelione Apollini sacro sollemne erat. Postea certis diebus responsa piis hominibus dabantur et ea non per vatem seu Sibyllam ipsam, sed per sacerdotes qui eam interrogaverant. Quod negotium cum sibi vindicassent, oracula orta sunt, quorum plurima Apollo habuit; quamquam et Jovis Pelasgici Dodonaeum magno in honore fuit et Telluri Delphicum ante Apollinem sacrum fuisse videtur. Quaerentibus qui factum sit ut sacerdotes Apollinis tanta apud Graecos auctoritate essent, recte videtur E. Curtius respondisse, majore cultura et doctrina instructos ex Lycia et Caria in Europam venisse, ita ut tribuum rudiorum quasi praeceptores facti sint.[23]) Hoc fonte potentiae usi semper sibi optime consulebant quaestionibus quam prudentissime respondentes. Quamobrem opus erat omnium civitatum situm, opes, leges moresque, duces et oratores, societates et discidia accurate cognoscere. Praeterea responsa a superiorum aetatum sacerdotibus reddita, diligenter servata posteris nota erant. De rerum futurarum praedictione non disputo; erroris manifesta indicia quomodo vitata sint non ignoramus. Sed vera sapientia putanda est, quae bonis consiliis[24]) populo saepissime profuit. Taceo quantum juri et legibus, quantum cultui deorum constituendo, quantum emendandis moribus oraculum Delphicum profuerit; hoc memoratu dignum, quod de compositione anni bene meritum est. Ne quid enim dii sacrificiis intermissis aut perturbatis detrimenti caperent, in civitatibus Amphictyonum foederi adscriptis *ἱερομνήμονες* faciebant ut adhibito Delphicorum consilio anni ordinem ubique aequaliter sancirent. Oraculi auctoritate menses distributi et appellati,[25]) fasti et nefasti dies distincti, certi mensium dies certis numinibus sacrati, anni lunares cum solaribus spatio undecentum mensium aequati sunt.[26])

Contra plerumque deerat sacerdotibus ea et potentia et voluntas quae ignorantiae et barbariae faveret. Neque religio ea erat quae sacerdotes, tamquam alius et superioris generis essent, a populo segregaret nebulisque circumdaret. Nihil fere ea doctrina majorem caliginem mentibus offundit, deos cantionibus cogi posse potentiamque esse penes sacerdotes vel magos naturae legibus oppositam aut solutam. Atqui apud Graecos etiam sacerdotes huic pesti vix indulserunt. Pauca tantum apud poetas reperiuntur quae magicen sapiunt, de Proteo cogito quem Menelaus suadente Leucothea

dolo ac vi adegit ut sibi futura revelaret, de Ulixis νεκρομαντείᾳ, de Circe, de Medea. Aliud genus est caerimoniarum de quibus theologi qui dicuntur scripserunt. Deperditi sunt libri sacri, vix tituli exstant. Aliam fortasse praeberent ac quam nunc plerumque fovemus de Graecorum cultura opinionem.[27])

Institutis quibus vita pulcra et decora redditur, Graeci omnes fere gentes superarunt. Quam ad rem, etsi eadem nationis indole, quae religionem genuit, effecta est, ipsa religio multum contulit. De festis deorum cogito. Olympica, Isthmia, reliqua cursorum, athletarum, aurigarum, δισκοβόλων certamina occasionem dabant optimam corpora pulcra motusque robore et gratia praestantes videndi. Quam ob rem nulla natio pulcritudinis peritior, nulla judicio de re statuaria acriore rectioreque unquam fuit quam Graeci. Musicis quoque certaminibus[28]) fiebat ut populi aures bonis cantibus numerisque assuescerent et qui probandi essent, qui rejiciendi, discerent. Atqui haec omnia ad deorum honorem parabantur. Quid autem inter caerimonias pompa Panathenaica magnificentius erat? quid, quo magis Atheniensium animi amore decoris et elegantiae a teneris unguiculis implerentur? Choreae tum virginum tum puerorum tum virorum diebus festis praecipue Apollinis usitatae, omnino diversae a furiosis saltationibus supra memoratis similiter ac ludi gymnici decoros corporum motus edocebant. Festa Bacchica quamvis partim modum σωφροσύνης excederent, hominum ingenia non poterant non acuere. Effecerunt enim ut animorum affectus vehementer eo cultu excitati pompis et gravibus et jocosis, quibus carmina addebantur, quodam modo ante oculos ponerentur.

II. De artibus.

Quomodo universus populus religione quasi educatus sit edoctusque hactenus ut quidem potui ostendi. Transeo ad culturae quasi culmina vel fastigia, artium et litterarum studia.

1. De architectura.

Templorum numerum religio non solum deorum multitudine magnum effecit, sed eo etiam quod nullam urbem illis prorsus carere licebat, compluribus quamque ornari honestum et decorum habebatur. Aedem Graeci domicilium numinis esse credebant, non quo semper ibi habitaret, nam quid fieret de Olympo? quid de tot ejusdem dei templis? sed ut saepe et libenter eo veniret ad piorum hominum preces et sacrificia accipienda. Ita apud Homerum Jupiter ad remotos Aethiopas se confert *Α* 423, item Neptunus *α* 22. Homerus paucorum deorum templa commemorat, Minervae Atheniense et Trojanum *Β* 549, *Ζ* 88, Apollinis Delphis, Chrysae, Trojae exstructa *Ι* 405, *ϑ* 80, *Ε* 446, *Η* 83, *Α* 39, Neptuni Helicae urbe Achajae *Θ* 203. Vovetur Soli ab Ulixis sociis templum Ithacae aedificandum *μ* 346, et ex narratione *ζ* 10 apparet simul cum urbibus templa exstrui solita esse. Postea quaedam templa ab heroibus condita esse honoris causa dicebantur. De antiquissimorum forma, simplici utique, nihil constat. Sunt qui lignea fuisse opinentur.[29]) Sexto ante Ch. saeculo complures civitates operam dederunt, uti templis quam magnificentissimis, inter quae erant Junonis Samium, Dianae Ephesium, una cum diis se ipsas honorarent. Bello Persico feliciter peracto Athenienses hujus quoque artis palmam tulerunt Parthenone miri splendoris opere. Formam templorum non defuerunt qui ex religionis proprietate repeterent. Columnae, inquiunt nonnulli, recta ad coelum ascendunt, sed subito trabe transversa finiuntur, velut animi ad deum elatio rerum exteriorum cupiditate facile in populo levissimo praecluditur. Eandem volunt in arcu Romano hinc ascendere, illuc statim relabi, at in Gothico tandem qui dicitur utpote vere Christiano utrimque ad regiones coelestes pariter surgere. Argutius illi quam verius, siquidem Christiani ipso rotundo arcu per multa saecula usi sunt.[30]) Curtius veterum monumentorum scientissimus fatetur templa, quamvis necessaria ad cultum deorum, quomodo formam ex religione duxerint difficile esse dictu.[31]) Substruebatur

fundamenti loco agger lapideus, ad quem latis gradibus escendebatur, ut aedes sacra ab omnibus profanis separata esset, ipsumque, in quo staret, solum communi sublimius videretur. Simulacrum cellae parietibus circumdatum erat et a profani vulgi oculis tectum; solum a parte orientis, ubi apud aram pii cultores starent, cerni poterat. Cella extrinsecus simplicissima intus tantum ornata erat, cum dei esset, non populi; πρόναος contra apertus, qui populum invitaret et usque ad fores admitteret, non modo columinibus, sed etiam sculptura ornatus erat, itemque πτέρωμα et fastigium, cujus forma elatiore templa a privatarum domuum tectis differebant. — Ecce magna parvis effecta: simplex apparatus, aspectus grandis et magnificus. Usus linearum et ad perpendiculum et ad libellam directarum latissime patet. Omnia facile perspiciuntur; optime partes inter se congruunt et respondent. Robusti quiddam et validi huic generi inest. Nihil vani, supervacanei, frivoli: gravia cuncta, solida, sancta; serena tamen, hilara, tranquilla. Quae haec effecit religio optime sane de pulcri sensu et cognitione merita est.

2. De arte fingendi.

Prima aetas fuit qua dii vix a naturae viribus et potentiis discernebantur, altera qua generi humano similes haberi coepti sunt: quarum utrique sua ratio fuit deorum imagines fingendi. Initio enim Graeci signis contenti erant quae non tam formae similitudine quam significatione dei commonerent. Talia fuerunt δόκανα, duo postes trabibus transversis juncti, qui Lacedaemoniis pro Dioscurorum utpote amore fraterno conjunctorum imagine erant.[32]) Neque ξόανα i. e. statuae ligno scalptae magis quam lapides nonnusquam obvii veram deorum speciem reddere credebantur, sed quasi symbola (ut hoc verbo utar) eorum memoriam piis hominibus tradebant. Postquam Graeci deorum simulacra ad speciem humanam accommodare ausi sunt, initio licitum non statuerunt etiam vultum plane humanum iis tribuere. Quae nimia religio paulisper arti obfuit; nam duri aliquid, rigidi, immobilis, quale in priscis ξοάνοις esse solebat, faciebus primorum signorum lapide sculptorum mansisse Welckerus docet. Ne posteriore quidem aetate sacrarum imaginum pulcritudo semper tam perfecta esse potuit quam eorum signorum quae non cultoribus piis, sed artis amatoribus destinata erant. Bacchi in fronte, si Valerio Flacco[33]) credimus de templo Lemnio loquenti, cornua tumebant. Quodsi nimis audacter Lessingius[34]) contendit eandem Bacchi in omnibus templis formam fuisse, id tamen concedamus, potuisse illam saepe adhiberi. Quae exstant Bacchi simulacra omnia cornibus carere dicuntur; incertum est num ullum eorum in templo steterit. Eadem religione moti Athenienses priscum Minervae ξόανον tum servaverunt, cum illius loco statuam multo praestantiorem ponere poterant. At haec omnia non obstiterunt Phidiae, quin velut apud Homerum homines formosi interrogantur num dii sint, sic deos hominum forma summopere admiranda indueret. Quibus igitur de causis Graecorum religio tam praeclaras deorum formas genuerit, ut humanam formam et naturam quasi corpus fecerit numinis, quaerit Welckerus, eorum dictis non contentus, qui de arte apud Graecos magis quam alibi usitata loqui satis habeant. Ostendit huic religioni magnam vim fuisse ad corrigendos mores, quippe quae conscientiae vocem Erinyum forma aspera, tum Nemesis numine sublimi expresserit. Factum igitur esse et hoc amore honesti, et eo pulcri studio, quo adducti venustas feminas cum deabus comparare consuessent, ut Graeci deos hominibus similes fingerent. Artifices senserunt diis Homeri corpora non tantum humana, sed ea tribuenda esse, quae ipsa forma divinum illud et sublime, quod naturae nostrae inest, ostenderent.[35]) Neque ea religio quae deum spiritum esse statuit corporis limitibus liberum, nec eae quibus dii certis distinctisque formis non circumscribuntur, nec quibus infra homines collocantur, imagines deorum exhibere potuerunt quales Graecorum religio edidit. Ceterum Homeri descriptiones Phidiam secutum esse constat. Formam a poeta excogitatam sculptor tam accurate expressit, ut Aemilius Paullus Olympiae Jovem ipsum velut

praesentem videre sibi visus sit. Cujus signi pulcritudo adjecisse aliquid etiam receptae religioni Quintiliano videtur, adeo majestas operis deum aequavit. Contra Polycletus, ut humanae formae decorem addiderit supra verum, ita non explevit deorum auctoritatem illo quidem judice.[36]) Tamen Welckerus ejus Junonem dignam censet quae cum Phidiae statuis comparetur; praeclaram esse effigie apud Overbeckium[37]) exstante doctus sum, ubi etiam quanta laude Goethius hoc opus extulerit, refertur. Fecit autem Phidias partim statuas colosseas ebore auroque inductas, quae paene templorum altitudinem interiorem aequarent, partim marmoreas minores sed humanam staturam et ipsas superantes, quales fuerunt in fastigio Parthenonis, Minervae ortum et victoriam de Neptuno reportatam ante oculos ponentes. Omnes vero deorum statuas, et cultui destinatas et reliquas, religioni deberi perspicuum est.[38]) Venio ad *ἀναθήματα*. Religione Graeci adducebantur ut praeter sacrificia et alia magni pretii dona, inter quae artificia erant, offerrent. Usitatissima fuere deorum statuae: Pausanias in descriptione Olympiae solius Jovis statuas per IV capita enumerat.[39]) Sed hominum quoque imagines, ut puerorum aquis haustorum V, 25, offerebantur, tum equorum etiam, c. 27, bovis X, 9, hirci 11; praeterea tripus serpenti innixus. Quorum quidque operum quam bene factum fuerit non satis constat; credere licet diis nonnisi optima consecrata esse. Ita apud Graecos religio, id quod alias reges quidam nobilesque nonnumquam fecerunt, multis artificibus occasionem dedit artis exercendae.[40])

3. De musica.

Musica aut cum poesi lyrica conjuncta erat aut saltationi inserviebat. Ex deorum cultibus praecipue iis, qui Bacchum et Cybelen celebrabant, musica opus erat, quae strepentes magnarum turbarum saltationes moderaretur et fanaticae caerimoniae dignitatem afferret.[41]) Qua ratione quin ars ipsa magis magisque exerceretur et erudiretur fieri non potuit. Itaque religione Phrygia ars tibia canendi orta est, quam a Marsya, Hyagni, Olympo inventam fabulae incertique rumores tradebant. De singulis jam instrumentis quaedam dicturus taceo de sistro Isidis deque Phrygum *ῥόμβῳ* etsi satis puerili Rheae tamen accepto.[42]) Cybelae crotala et tympana sacra fuisse hymno Hom. XVII, 3 traditum est. Cymbala aënea, quorum tinnitus saepe apud poetas Romanos occurrit, et ipsa a Phrygibus inventa et in Rheae sacris usurpata constat, unde in Cretam translata esse dicuntur. In Bacchi sacris adhibebantur, ex Musis Erato patronam habebant. *Σύριγγα* quoque pro Panos invento[43]) habitam, qui inter Cybeles comites numeratur,[44]) si non Phrygiae originis, at in sacris Phrygiis adhibitam esse apparet. — Quae de tibia a Minerva inventa et abjecta, a Marsya infelici arrepta tradebantur, ea facetias Atticorum sapere Volkmannus cum aliis vidit. Plerique peregrinam putaverunt: certe e Phrygia cum Rheae sacris in Cretam delata est, mox cum Bacchi sacris per totam Graeciam propagata, postea etiam in Apollinis cultum recepta. Athenienses ad festorum sollemnia Thebanos tibicines, qui optimi habebantur, arcessebant.[45]) Tubae quoque, etsi pro vili instrumento habebatur, in ludis sacris usum fuisse ad classica scilicet canenda, Sophoclis docet locus El. 711; et videtur arte tubicinum Olympiae singulare quoddam certaminis genus constitutum esse.[46])

Lyram et citharam haud multum inter se diversas Graeci a diis se accepisse credebant. Lyram primus confecisse e testudine fertur Mercurius,[47]) citharam alii volebant ab Apolline inventam, alii ab eodem Mercurio, illique dono datam. Apollinem citharoedum in Olympo Musis stipatum finxit Hesiodus, item cithara canentem in Pelei nuptiis Homerus Ω 63. Quidquid de inventione lyrae statuendum censes, nullius dei sacra plus ad artem cum lyricam tum tibinam promovendam contulere quam Delphici Apollinis. Ludis enim Pythicis, quos institutos sacerdotibus honori vertendos cum Welckero (II, 371) credo, adstrepentibus tibiis carmen choricum canebatur fabulas Apollineas continens. Iidem ludi certamina exhibebant quae citharam cum tibia conjungerent, quasi foedere inter Apollinem et Bacchum icto.[48]) Saltationes cum musica conjunctas tamquam Apollini gratissimas commemorant Stesichorus et Pindarus.[49])

Quodsi verum est notitiam sensumque pulcri esse hominis liberalis beneque educati, recte Aristoteles dixit Apollinem vitae cultioris auctorem per musicam fuisse.[50]) Etiam Panathenaeorum die primo certamen citharoedorum et tibicinum in odeo a Pericle exstructo habebatur. Ita symphoniarum initium, usitatiorum utique nostris temporibus, Graeci a religione duxerunt. — Antiquos modos Delphis usitatos Terpander notis musicis exaravit, novos ipse fecit. Plerumque motus numero vario et pro animi affectibus diverso ingrediebatur; sed erant quoque modi quorum quisque sonus pariter produceretur, ut nunc in iis fit quos chorales vocamus: quod genus, apud libationes maxime sollemne, inde spondei nomen accepit. Majore arte Thaletas in musica sacra usus est. Uterque cum lyra citharaque potissimum usus esset, factum est ut semper earum sonus pietati aptissimus maximeque ad perturbationes animi sedandas idoneus Graecis videretur. Tibiis contra, quamquam cultui et ipsae serviebant, inquieti aliquid, impetuosi, excitati inesse credebatur, quam ob rem Pythagoras e ludo suo removisse eas fertur. At forte eundem tradunt, cum noctu adolescentem vinolentum vidisset ad clausam amicae januam furentem, tibicini qui eum comitaretur imperasse, ut carminis spondei modum caneret, quo illum ad sanam mentem reduceret.[51]) De modis carminum Apollineorum haec inveni.[52]) Inter genera vocis nullum ad ea aptius videbatur quam Doricum illud grave, virile, grandiloquum, sanctum. Praeterea cum tria modorum genera (*τρόποι μελοποιΐας*) essent, unum quo tranquillitas animi efficeretur, alterum quo animi impetus excitarentur, tertium quo augeretur fortitudo, primum paeani[53]) maxime convenire veteres putabant, tertio non omnino rejecto. Nam pugnam quoque committentes Graeci paeana canebant, simul resonante primum cithara, tum apud Lacedaemonios (Thuc. V, 70) et Cretenses tibia, apud ceteros tuba. A paeanibus distinguuntur *ὑπορχήματα*. Paeanes chori tum stantes, tum gradientes, tum saltantes canebant, in *ὑπορχήμασι* canente choro unus praesul pantomimi genus quoddam agebat. Haec quoque Apollini vovebantur interdum, rarius tamen. Paeani duo saltationis genera apta erant, *γυμνοπαιδική* quae a nudis pueris. et *πυῤῥίχη* quae a viris armatis agebatur. Paean fuit in quo canendo post victoriam Salaminiam Sophocles adolescens chorum duxit; quod munus choros ducendi tam frequens erat, ut ex officii nomine *Στησιχόρος* proprium factum sit. Quantus honor in Graecorum religione saltationi fuerit, eo apparet, quod in carmine de Titanum pugna Jupiter ipse saltans fingitur, alibi Gratiae, Horae, Apollo, Diana, Mars, Mercurius, Pan denique, et hic quidem propter choreas quas pastores antiquitus suo ducere deo solebant.

4. De arte poetica.

a. **De poesi lyrica,** praesertim sacra. De artis poeticae origine Roethius ita disputat ut totam e religione ducat. Lini enim et Orphei carmina antiquissima esse putat quae in litteris Graecis occurrant. Ab illis potissimum deos inferos esse placatos et carminibus celebratos atque oracula scripta, quae ille Hebraeorum vaticiniis haud dissimilia fuisse suspicatur. Manifesto igitur apud Graecos culturam et litteras ex religione ortas esse. Equidem non pro certis acceperim quae ille nonnisi propter ignorantiam a plurimis in dubium revocari non semel fortiter praedicat.[54]) Iis enim quae de antiquissimis poetis traduntur multas fabulas admixtas esse scriptores aetate inferiores tam sibi persuaserant, ut Aristoteles Orpheum fuisse omnino negaret. Exstitisse igitur carmina Lino, Orpheo, Oleni ascripta, compluribus saeculis ante Homerum composita Diodorus auctor est. Ea alii posteris temporibus pia fraude ficta nominibusque illis venerabilibus exornata censent; quo referendus videtur Herodoti locus II, 53, 3. Certe veri simile est nulla carmina antiquiora fuisse quam quibus dii celebrarentur. De iis vel ideo primum mihi agendum est quod cum religione maxime conjuncta sunt. Pythagoras igitur sacra cantica mane et vesperi cantari jussit.[55]) Carminum in cultu Attico adhibitorum quatuor genera Plato (Legg. III, p. 700 b) enumerat, *εὐχάς* sive *ὕμνους, θρήνους, παιᾶνας, διθυράμβους*. Ex quibus dithyrambus Baccho sacer erat; est enim hoc vocabulum Bacchi cognomen,

quod alii a δὶς θύραζε βαίνειν, alii a θρίαμβος (θηρίαμβος? θρῖον?) ducunt. Atqui hujus dei fata et mores longissime distant a μέτρῳ illo alioqui Graecis proprio: nullus enim praeterea necatus[56]) et discerptus, nullus vino extra se raptus credebatur. Haec ipsa dei et gaudia et labores dithyrambis excitato modo et impetuoso canebantur, quorum metrum quoque tam liberum erat ut legibus paene solutum videretur. Interdum praeter Bacchum et aliorum heroum heroidumque labores et aerumnae referebantur. Ejus modi carmina primo, dum solum a Bacchantum agminibus canebantur, parum artis habebant; tum ab Arione certas leges acceperunt, denique a summis poetis Simonide et Pindaro hoc genus maxime expolitum est. — Reliqua tria genera ita distinguebantur, ut εὐχαί preces, θρῆνοι questus continerent, paeanes gratias agerent laetitiamque tranquillam et honestam exprimerent; quamquam Il. A 473, Sophocl. O. R. 4 precandi vim paean habere videtur.[57]) Inter quae paean non secus ac reliqua inferiore aetate omnibus praeter Bacchum diis promiscue sacer erat. Sed initio, ut apud Homerum l. c., Apollo tantum, cui Paean i. e. sanans, servans cognomen esset, hoc genere celebratus est,[58]) ita ut ipse deus Paeanis nomine invocaretur. Paean igitur non solum diebus festis aut apud templa canebatur, sed ante proelium et post victoriam, imminente periculo et remota calamitate, ante opus iterve suscipiendum, denique post coenam. Sic Athenienses oraculum Delphicum hortatum esse traditur, ut ἰὲ παιάν clamantes in proelium irent. Qualis autem paean fuerit, facile eo apparet, quod dithyrambo opponitur (Legg. III, p. 700d) et a Plutarcho τεταγμένη καὶ σώφρων μοῦσα appellatur: carebat videlicet nimia illa animi perturbatione. Paeanes Pindarus sacrificii loco deo Delphico offerebat; optimum vero fecit homo alias ignotus Tynnichus; pulcherrimum fere, ut ait Plato, omnium carminum. Eundem paeana cum antiquo simulacro comparavit Aeschylus, quod non arte admirationem, sed simplicitate reverentiam injiciat. Ita paean perfectus magis pietatis quam ingenii fructus fuisse videtur.[59]) In paeanum fragmentis quae exstant, de pugna cum Pythone agitur, de oraculo Delphico occupato, condito, consecrato, de templi splendore. Sententiae quoque seriae et contemplationes inveniuntur. Metrum varium fuisse videtur.[60]) — Oraculum Delphicum, ut Apollini sacrum, ita Baccho non alienum erat. Parnassus utrique communis, tibia cum cithara sociata erat. Ideo non modo eruditi, sed etiam multitudo festorum strepentium et jocosorum studiosa Delphos conveniebat; quare factum videtur Curtio, ut Delphis potissimum leges artium et musicae et poeticae sancirentur. Inter ipsos Apollinis sacerdotes hymnorum poetae et cantores erant, quorum hymni etiam in colonias perferebantur. Etiam oracula viros versuum componendorum peritos requirebant; quin ipsum hexametrum ibi inventum esse traditum est.[61]) In poesi lyrica id genus ab Apolline Delphico repetitur, quod Doricum sive Cretense dicitur. Hujus tanta erat severitas, ut Stesichorus cum de Helena levius carmen fecisset, παλινῳδίαν canere cogeretur. Lingua non erat omnino Dorica, sed arte facta, ut velut musica gravis et sollemnis esset. In altero genere Lesbio (Alcaei, Anacreontis) etsi hymni occurrunt, non tam id agitur ut dii celebrentur, quam ut narratis deorum fabulis auditorum animi oblectentur. Ne Pindari quidem epinicia deorum laudibus destinata erant. Sed dum victores patriamque eorum et majores canit, fabulas de heroum et deorum factis sollerter et jucunde poeta inserit, iis quae religione tradebantur ad exornanda carmina usus. Illo magis nemo abhorruit ab eorum moribus qui res divinas ludibrio verterent: immo vatis munere quasi sacerdotio functus est tantaque cum pietate, ut quaecunque de diis minus honesta traderentur, in medium proferre dubitaret, nedum ipse talia fingeret. Itaque quod alias narrabatur, Pelopem vel a patre comminutum diisque convivis appositum, vel ab his divisum et comestum esse, hanc indignabundus calumniam vicinorum fuisse affirmat, qui nescirent quo tam subito abisset puer a Neptuno amante raptus (Ol. 1). Idem quam caute vitaverit quae diis displicerent fragmentum dithyrambi (50) docet, ubi se quidem fatetur Geryonem praeferre Herculi, sed tacere quia minus illi Jupiter faverit. Neque narrato Herculis proelio cum tribus diis commisso, quamquam id tantum

probaturus erat, non potuisse tanta facinora nisi divino auxilio effici, facere potest quin exclamet: sed absit talis sermo; diis conviciari odiosa sapientia! Ol. 9, 35. Minus anxie in uno carmine de duabus rixis inter deos ortis loqui audet; quarum alteram obiter tangit, alteri ob Thetidis conjugium inter Jovem et Neptunum ortae fati decreto finem esse allatum narrat, Isth. 8: neque dubitavit Corinthi nomine, Jovis filii, herois a Corinthiis ficti, a ceteris Graecis multum derisi, ludicre proverbii instar uti pro nugatore fatuo, Nem. 7. Inter deorum epitheta praeter ea quae sensibus percipiuntur ut κελαινεγχής Nem. 10, 84 de Marte, χαλκοκρότος Isth. 7 de Cerere cymbalorum amanti, ἀργυρόπεζα de Venere, ἐλασιβρόντης de Jove, ὀρχήστης de Apolline, haud raro ea adhibet quae ad mentem animumque spectant. Apollini mentem tribuit omnia scientem, ut mendacio falli nequeat Pyth. 3, 29. 9, 45; eundem clementissimum praedicat (II, p. 272 Thiersch); pariter Cronidarum benevolorum mentionem facit Pyth. 2, 25. Unum genus hominum esse et deorum censet Nem. 6, qua re non modo homines facilius divini honoris, ut Diomedes Nem. 10, participes, sed etiam dii humanis animi motibus obnoxii fiunt; metu e. g. nasciturae ex Thetide subolis ab illius connubio prohibentur Isth. 8, obstupescunt Achillis pueri robore Nem. 3.

b. **De carmine epico.** Quamquam fabulae sacrae, in quibus tota religionis vis atque ratio erat posita, ab iis distinguebantur quae poetarum arbitrio additae erant, tamen neque diebus festis fictas proferre illicitum erat, et postea ratione cultus sacri nulla habita fabulae saepe non tam deorum gloriae quam animorum oblectandorum causa in poematis adhibebantur. Quamobrem utriusque generis fabulae non solum a nobis haud facile discernuntur,[62]) sed jam apud veteres in hominum indoctorum mentibus permixtae sunt. Et apud Homerum quidem quae de diis narrantur quin subsidia sint operis poetici, ut deorum voluntas, ira, amor quasi machina sit qua actio epica moveatur, dubitari non potest.[63]) Apparet enim inter deorum et heroum facta eam necessitudinem intercedere, ut sine illis ne cogitari quidem Ilias possit. Qua re quantum majestatis poemati afferatur, quantum vigoris, quis non videt? Quamquam interdum a diis fieri quae iis minus digna videantur, interdum heroum virtutem nimia deorum ope minui haud negaveris. Prioris generis sunt Junonis et Minervae implacabile adversus Trojam odium Paridis judicio incensum Ψ 28, summi dei animus uxoriis illecebris irretitus *Π*, Minervae perfidia *X* nec non *Δ*. Sed integri perfectique mores non magis epicae poesi quam tragicae convenire videntur;[64]) contra animi impetus et perturbationes actionem concitatam efficiunt, qua lectoris animus teneatur et trahatur. Recte igitur, dum deorum usus omnino carmini epico concedatur, ad hominum similitudinem illi effinguntur.[65]) Sed etiam heroum virtuti aliquantum videtur poeta detrahere, ubi facinora mirabilia non suo Marte sed divinis adminiculis[66]) perpetrant. Vulnerat Martem Diomedes: at cur miremur, si Minervae ductu ferit? Magnificum sane, unius viri aspectu et voce totum exercitum terreri: quid vero, si Achillis capiti fulgorem igneum dea circumdedit, voci aëneum clangorem simul ipsa clamans addidit? (*E* 205. 218.) Nonne merito Paris, cum Menelao obtrectare studet, tum potissimum σὺν Ἀθήνῃ eum vicisse affirmat? (*Γ* 439.) Sed vide ne injuste poeta vituperetur. Primum enim, etsi heroum, inprimis Achillis, laudes praedicare instituit, hoc propositum non solum sequitur, sed praeter homines etiam res, actiones, facinora fingit et splendore quam maximo ornare studet. Igitur quod discrimen in re scenica inter personas et actionem intercedit, idem in carmine heroico reperitur. Jam si deorum auxilio personarum quidem dignitas detrahatur, sed actionis magnificentia augeatur, quis non illo crimine nostrum absolvat? Praeterea notum est summos tantum heroas eximio robore animique magnitudine excellentes Homero dignos videri quibus Olympii ipsi opitulentur. Fulgor ille non Achillis vi effectus erat: at Achillem esse oportuit cui tantum honoris dea tribueret. Minervae robore Diomedes Martem percussit: quantus vir, cujus manu ipsa Minerva uteretur! Cum vero heroes periculis eripiuntur, ut a Venere Paris et Aeneas, poeta tum certe id non agit ut illorum laudes praedicet.[67]) Porro illud poeta videtur lectorum quasi ante oculos posuisse, hominum fata divino numine regi hominemque

vel optimum et fortissimum nihil esse sine deo, a quo omnia acceperit. Hoc de heroum personis sufficiat. Rerum autem narrationi aliquantum suavitatis additur diis ubivis versantibus, adeo ut natura universa, quae nobis plerumque videtur exanimis, diis plena vivat quasi, sentiat, agat. Itaque mane non rubor quidam coelum tegit, sed dea ῥοδοδάκτυλος Tithoni lectum relinquit. Sol nisi deus esset, quis usus esset epithetorum Ὑπερίων, πανδερκής, ἠλέκτωρ, ἀκάμας, quis currus et equorum? quo pacto fieret ut eundem Juno invitum Oceani fluctibus mergi juberet, quam primum Achivos pugnae laboribus liberatura?[68]) Venti non mere ac simpliciter motus aëris sunt: Boreas et Zephyrus ut rogum accendant arcessuntur, gratiarum loco sacrificia postea accepturi. Fluvii etiam irascuntur, pugnant (Xanthus), precibus et donis placantur (Sperchius). Quo ornatu in arte poetica suam aetatem esse destitutam Schillerus questus est; itaque saepe carminibus deorum nomina inseruit, quamvis plerisque lectorum inanes soni essent. Et ille quidem in lyricis: quid, si heroicum poema diis careret? Multa bella eaque memorabilia gesta sunt: nullum comparari cum eo potest, de quo consilia in Olympo habebantur. Quotquot interierunt urbes: maximi sane est momenti Trojae excidium, quod deorum regina precibus, promissis, dolo Jovi extorqueret, nisi jam fatis constitutum esset. Omnibus ceteris majores videntur homines tali deorum vel praesidio vel inimicitia digni![69]) — In Odyssea simplicius est consilium quo poeta deorum auxilium adhibet. Et Jovis quidem plerumque eae partes sunt, ut faciat quae Minerva rogaverit α 63, ε 21, aut, ut in fine poematis, ubi proelium cum Ithacensibus imminens dirimit ω 539, propitius adsit in summo rerum discrimine. Idem Ulixis socios, quod Solis bubus non pepercerunt, fulmine percutit μ 397. Minerva Mentoris specie induta Telemachum hortatur et adjuvat α 113, ο 1. Eadem agente decretum fit quo Mercurius ad Calypso mittitur. Ulixem nebula cinctum dea ad Alcinoi domum ducit η 14, cf. ν 189. υ 31; Auroram retinet noctemque solito longiorem reddit ψ 245, cf. Σ 239. Neque ad minora officia descendere aspernatur: bonis herois in specu absconditis ipsum juvenem reddit ν 370; conf. ζ 229. ω 367; ei et filio praelucet arma procorum seponentibus. Neptunus Ulixi, qui filium ejus Polyphemum excaecavit α 69, ι 536, acerrime adversatur; quin libenter eum occidisset nisi fato (αἴσῃ ε 288) vetitus. Mercurius nuntii munere fungitur, quo in Iliade semper Iris, medicum se praebet callidum κ 277, animas ad inferos compellit ω 1. Deae minorum gentium, ut Circe, Calypso, mythologiae potius quam religioni an ascribendae sint dubito; cultus enim earum vix ullus erat.[69a])

c. **De ludis fabulisque scenicis.** Quomodo Bacchi diebus festis ex rusticorum hominum cantilenis dei facta et fata enarrantibus et tragoedia et comoedia orta sit, accuratius non exponam. Ceterum hoc etiam videtur dei cultu factum, ut Graeci utrumque genus diligenter distinctum et discretum ad perfectionem adducerent. Hiberna enim Lenaea choros lugubres habebant mala Bacchi canentes, verna Anthesteria hilarem dithyrambum, serta florum, φαλλοφορίαν.[70]) — Scientiam rerum divinarum poetae tragici percipere poterant partim ex sacris publice institutis, partim ex poetis antiquioribus. Quamquam mysteria Aeschylo profuisse in componendis tragoediis non satis certum est. Quoquo enim modo se habet illa vulgatorum mysteriorum accusatio,[71]) in servatis quidem Aeschyleis vestigia rei non occurrunt.[72]) Neque enim usquam initiatorum (id quod Aristophanes in Ranis ausus est) chorum, tragoediae vel magis quam comoediae aptum, Aeschylus in scenam producit. Quam vero impietatis accusationem ab Aeliano memoriae proditam Baylius cum versibus contulit a Platone[73]) reprehensis, ea nescio an a priore illa diversa sit. Jam de ipsa Aeschyli religione qui scripserunt, negant facile in ejus tragoediis separari quae religionis sint, quae poesis.[74]) Quarum Haymius utramque discernere conatus contentionem inter eas talem invenit, ut tum haec, tum illa vincat, tum dubia maneat victoria. Nos graviora tantum hac de re, ne ceteros poetas negligamus, colligere licebit. — Formam diis habitumque eum tribuit poeta, ut Jovem ex Homeri fictione trutina ponderantem fata (fr. 261), Apollinem arcu, Minervam aegide instructam,

Boream follibus mare commoventem ostendat, Bacchum muliebrem atque mollem,[75]) Furias anus virgines fingat foedas aspectu, atris vestibus, guttas horrendas ex oculis fundentes. Quae num in fine Choëphororum a spectatoribus visae sint controversum est; negandum videtur, quia non a choro; ab Oreste ergo hallucinatione tantum. Praeterea dii nonnulli, quorum forma non describitur, in scenam prodeunt. — Partes tum chori (ut Oceanitides Prometheum consolantes, Nereides, Titanes, Eumenides), tum personarum aut minoris momenti (ut in Prometheo Vulcanus, Mercurius, Oceanus), aut apud quas summa rerum versatur, in Aeschyleis fabulis dii tuentur. Qui quidem in certamen quod dicitur tragicum ita descendunt, ut acriter ab alterutra parte stantes nullum exitui ἀπὸ μηχανῆς locum relinquant. Neque vero Prometheus cum Jove,[76]) neque Eumenides cum Apolline et Minerva quasi litigantes ab ea, quae deorum pugnas antiquitus tradidisset, religione ullo modo abhorrebant. Una cum deorum contentionibus humana instituta, ut Areopagum, ita poeta tractavit, ut res divinas et humanas artissime inter se cohaerere demonstraret. Verum reputantes in Eumenidum lite Apollinem levioribus uti argumentis, Minervam vel favore sexus virilis commoveri ut Orestem absolvendum dicat, fatebimur quaestionem de absolutione parricidae parricidio ad facinus adducti immortalium ope non ita expediri ut nihil dubii relinquatur. Accedit quod Minerva Areopagitis introductis non modo victurum paribus suffragiis reum proclamat, sed etiam suo demum calculo adjecto, id quod plane iniquum est, numerum parem reddere non dubitat.[77])

Apud Sophoclem in tribus earum quae exstant tragoediis dii vel heroes procedunt. In Trachiniis cum illud deorum consilium, ut heros et laboribus et dolore ultimo perfunctus in Olympum recipiatur, ipsi ignotum sit, Hercules ab Ajace, Oedipode, aliis in quos πάθος cadit, haud diversus est. Verum Minerva in Ajace, dum vi sua utitur, patitur nihil, partes tuetur vere divinas; suscipit quod veteres partim fati, partim dei aut incerti aut certi cujusdam esse credebant: moderandos dico ipsius sapientia casus vitae humanae. Neque enim dea videtur caeco Ulixis favore adducta Ajacem tum armis Achilleis privasse, tum furore occaecasse insano; sed nimiam fortis viri superbiam, qui ingenti robore fretus auxilium deae in pugna sibi oblatum spreverat, ita punivisse, ut Ulixis animum prudentem nimiisque affectibus liberum illius ferocitati anteponendum esse demonstraret. In Philocteta iterum producitur sub finem Hercules jam divus, qui Philoctetae Neoptolemi precibus non commoto jamque in patriam adolescentis ope redituro tandem, ut Trojam se cum illo conferat utriusque virtute expugnandam, persuadeat. Auxilio igitur dei „dignus vindice nodus" ita solvitur ut nihil contra naturam eveniat, nihil non veri simile. Quaecunque enim is suadebat, cujus et familiaritate quondam Philocteta usus esset et arcu magni pretii dono etiamtum frueretur, haec cum ut pareret non poterant non commovere.

Euripides,[78]) qui cum Anaxagora νοῦν pro deo haberet, quamquam credere non potuit tales esse deos quales populus sibi fingebat, usus tamen illis est, sicut Virgilius et recentiores, ad fabulas ornandas. Mythologia ei pluris est quam religio: ea potius proferre studet quae pulcre, quam quae sancte dicta videantur. Idcirco deos similiores reddidit Homericis quam Aeschylus et Sophocles, qui suas de rebus divinis sententias cum fabulis popularibus conjungerent et miscerent.[79]) Neque vero invidiae deos aut iniquitatis arguere[80]) neque a partibus hominum, quos injuriis immeritis affecerint,[81]) stare contra illos dubitat. Ejus modi de diis sermones cum spectatorum misericordiam vehementer moverent inter causas numerandi videntur cur τραγικώτατον Aristoteles hunc poetam dixerit. Sed videamus quomodo actio per deos moveatur. Tria fabularum genera sunt, prout actio divino auxilio aut inchoatur, aut continuatur, aut finitur. Interdum duo genera conjunguntur, uti primum cum tertio in Ione, Electra, Helena, Hippolyto. — Inchoatur actio a diis vel procedentibus in Alcestide, Hippolyto, Bacchis, Troadibus, Ione, Cyclope,[82]) vel commemoratis tantum (Electra, 975. 1245: Apollinis oraculum causa caedis, Iphigenia Taur.: χρησμός, Orestes: 259.

Helena: prologus). Continuatur ita, ut deus vel heros mediae actioni intersit, in Bacchis, Hercule furente, Alcestide, Rheso. Finitur per deum ex machina in Oreste, Hippolyto, Andromache, Supplicibus, Iphigenia Taurica, Helena, Ione, Electra. — Genus secundum: Deorum partes in Alcestide hae sunt. Postquam Apollo Admeto concessit ut morte liberetur, reperto qui ejus vices subeat, Orcus (Θάνατος) Alcestidem ultro se offerentem abductum venit. Hercules licet divinae dignitatis expers depingatur, cum ea vi polleat qua vel deum Orcum vincat mulieremque illi eripiat, ita ut omnis actionis summa in eo vertatur, nescio an poetae consilio pro deo et ipse habendus sit. In Bacchis Dionysus cum a Pentheo ipsum ignorante illusus sit, sana mente privatum Maenadibus ipsique matri necandum objicit. In Hercule furente contentio inter Irim deorum nuntiam et Lyssam seu Furiam invenitur. In Rheso[83]) denique Minerva heroibus inter utraque castra speculandi causa vagantibus suadet ut Rhesum Thracum ducem occidant; Paridem assumpta Veneris specie fallit. — Generi primo et tertio id commune est, quod media fabulae pars eaque maxima deorum praesentia caret. In Hippolyto Venus a juvene casto spreta Phaedram Thesei uxorem alias pudicam insano privigni amore accendit, mulieris rejectae calumnia adductus Theseus Neptuni vindictam filio imprecatur. Post tanta mala a diis excitata una tandem Diana consolatur Theseum et Hippolyti memoriam culpa purgat, qui moribundus patri reconciliatur. In Andromache Peleum dolore afflictum Thetis consolatur, imperans quae et de Neoptolemo necato et de Andromache mortis auctore invita faciat, et immortalitatem pollicens. In Supplicibus postquam Theseus Thebanis victis ossa heroum ante Thebas occisorum in Atticam reportavit, Minerva actioni finem ita imponit, ut et Argivos foedere cum Atheniensibus icto ossa recipere jubeat et Epigonorum ultionem vaticinetur. Eadem in Iphigenia Taurica Thoantem, qui Iphigeniam fugientem persecuturus erat, retinet et quamvis invitum movet ne illi succenseat. Fraudem suam Iphigenia amore fratis excusat, quo se Dianae exemplum sequi Apollinis amantissimae prae se fert (1366 Matth.). Helenae tantum imaginem cum Paride Trojam abiisse poeta fingit, ipsam a Mercurio in Aegyptum ablatam in Protei custodia fuisse, donec a Menelao reperta sit. Sub finem Dioscuri apparent efficiuntque ut regis filius, qui illius amore ardet, proficisci eam patiatur.[84]) In Ione Minerva sub finem apparet ut Creusae fidem faciat matrem se Ionis esse praedicanti, quem Apollo genuerat, Mercurius Athenis Delphos surripuerat. Electrae exitus, ubi Dioscuri Orestis quem parricidii poenitet tristitiam suo consilio levant et Electram cum Pylade matrimonio jungunt, nec leniter a Schlegelio,[85]) ut tragoedia minus dignus, nec immerito reprehensus est.

III. De doctrina ac litteris.

1. De philosophia.[85a])

Quoniam religioni et philosophiae multa communia sunt, quarum utraque de mundo ejusque causa deo tradat quae vel credantur vel sciantur: fieri sine dubio potest ut aut societate conjunctae sint, aut inimicitia separatae. Quamquam originem ipsam Graecorum philosophia ex religione repetere non videtur. Haec enim deos hominibus effecit similes, a mundo distinctos: philosophi primi eundem statuerunt deum et mundum. Edocti partim ab Aegyptiis, de naturae viribus, de materia, de sideribus quantum poterant in lucem protulerunt. Thaletis igitur, Anaximandri, Anaximenis doctrinis nihil fere cum populi religione commune erat: Xenophanes etiam ea docuit quae religioni quam maxime repugnarent, unum esse omnia, neque id esse mutabile et id esse verum deum.[86]) Itaque in Homerum et Hesiodum versibus invectus est eosque qui deos nasci ac qui mori dicerent aeque impios esse affirmabat.[87]) Huic religio ita tantum profuisse videtur, ut in ea refutanda ingenium acueret. — Pythagoras demum praeter physicam et mathematicam etiam religioni cognoscendae

operam dedit. Cujus omnis vita non magis rerum naturae indagandae, quam religioni et intelligendae et corrigendae dedita erat. Adolescens enim a Pherecyde magistro edoctus[88]) religionem maximi facere, suadente forsan Thalete orientem circuiit, sacerdotum Phoeniciorum doctrina usus est, in Aegypto ipse inter sacerdotes receptus omnia quae illi de rebus divinis docebant per multos annos edidicit, Babylonem in exilium per Cambysem deductus Chaldaeorum vel Magorum eruditionem cognovit, a Persis recepit incruenta sacrificia, ex Asia denique redux mysteriis Jovis Cretici, Bacchi Thracii, praeterea Samothraciis initiatus est. Haec omnia a veteribus tradita Roethius demonstravit fide non indigna esse, modo Epimenidem Pythagorae aequalem ab alio antiquiore distinguamus. Neque temere idem orationes Crotonienses a Jamblicho traditas, etsi comprobare non potest, credit tamen easdem esse quarum mentio apud Dicaearchum exstat. In illis vero per exempla ex religione populari deprompta morum integritatem Pythagoras juventuti, civibus, mulieribus commendavit; adolescentes praeterea hortatus est ut conformandis ingeniis operam darent. Quid, quod totum fere religioni dicatum est poema illud Orphicum i. e. ad mysteria cultumque Orphicorum pertinens, quod *ἱερὸς λόγος* inscribitur? Atqui hoc a Pythagora compositum tradit grammaticus Alexandrinus saeculi a. Ch. II., cui immerito a recentioribus fidem negari mihi quidem Roethius[89]) persuasit. Hujus autem poematis consilium id est, ut pro fabulis vulgo acceptis purae veraeque de rebus divinis notiones populi animis imprimantur. Itaque quae religio popularis de diis tradebat, ad edocendas hominum mentes adhibentur. Et cum vulgus deos coleret quales Homerus et Hesiodus depinxerant, humana specie praeditos, humanis vitiis foedatos, Pythagoras deum unum esse crederet eumque qui coelum vel universum mundum amplecteretur et tamquam anima mundi rerum naturam penetraret: haec de deo sententia quanto sit illa praestantior ita ostendere conatus est, ut primo fabulas vulgares narraret ne obscoenissimis quidem omissis, quo magis a lectore contemnerentur; altera deinde parte suam doctrinam exponeret. Jam enim breviter tantum hortatus, ne quid turpe auditor aut cum aliis aut solus committat, tectis verbis docet ejusmodi deos, qui turpibus facinoribus non abstinuerint, pro diis nequaquam esse habendos. Tum eodem Jovis nomine, quo primo deum Homericum vocarat, eum appellat qui finibus temporis spatiique exemptus totum mundum in se susceptum ferat. Manifesto igitur notiones diversissimae ita copulantur, ut Jupiter, quamquam natus et ortus, se ipse faciat *τετρακτύν* et *ἕν*, h. e. numen supremum, infinitum, non ortum. Qua ratione quod finitum in infinitum mutatur, id nihil esse recte Roethius monet nisi fictionem poeticam, qua vitetur doctrina periculosa, non Jovem sed *τετρακτύν* venerandam esse.

Socratem diligenter modum patrium deos colendi servasse constat. Supremis enim vitae horis discipulos, si Platoni credimus, hortatus est, precationem facerent ut migratio hinc illuc feliciter eveniret, neve quem ipse ex voto Aesculapio deberet, gallum rite solvere obliviscerentur.[90]) Eundem Xenophon ostendit deorum patriorum contemptorem non fuisse, quod et sacra fecisset et divinatione usus esset, aliisque ut uterentur suasisset: praeterea relictis rebus divinis vel physicis (utraque enim una a philosophis tractabantur) quas ab hominibus non posse intelligi statuisset, omnem industriam collocasse in rebus humanis cognoscendis et tradendis; denique ratum esse deos nosse omnia, adesse ubique, consulere hominibus.[91]) Socrates igitur religione non ad rerum naturam cognoscendam usus est, sed tantum ad eam philosophiae partem et condendam et tradendam, quae agit de vita bene instituenda. Etiam ubi contra Aristodemum de sapientia divina disserit, nil nisi hoc efficere studet, ut ille deos colat virtutemque sectetur. — Plato quid de rebus divinis senserit si esset referendum, in promptu haberem aliquantum locorum ex ejus operibus collectorum: difficilius est dictu quid idem e religione didicerit. Certe acuebatur et exercebatur ingenium cogitantis de variis involucris, quibus quasi obducta et amicta erant quaecunque priscorum hominum mentes de summis rebus conceperant, deorum dico nomina figurasque et fabulas. De nominibus in Cratylo ita mirum in

modum Socratem producit disputantem, ut serione an ironice loquatur dubites. Partim videtur sophistarum commenta imitando irridere, partim ea afferre quae etiam nostris philologis placeant. Posterioris generis sunt Ἄρης cum ἄῤῥην, Μοῦσα cum μῶσθαι, Ἄρτεμις cum ἀρτεμής integer comparata;[92]) sed simul quaerit nonne alia ratio praeferenda sit, ut Ἅιδης sit ἀεὶ εἰδώς, Ἄρτεμις ἀρετῆς ἵστωρ vel ἄροτον μισοῦσα. Ζεύς, Διός ducitur a ζῆν et διά, et is est per quem omnia animantia vivunt. Ποσειδῶν est ποσίδεσμος vel πολλὰ εἰδώς, Ἀθήνη ἁ θεονόα vel ἠθονόη. Ἀπόλλων est et ἀ-πολῶν, quia concentus et sonorum et astrorum certa lege circumagit, et ἁπλοῦν simplex, quippe verax vates, et ἀεὶ βάλλων, ut sagittarius. — In Euthyphrone docetur pietatem non satis recte id dici quod diis placeat. Quid enim, si jurgia inter deos oriantur? quae non posse existere, nisi idem alii deorum justum, alii injustum esse censeant. Jovis enim et Saturni in patres facinora, quaeque in peplo picto proelia Minervae apparebant, cum pro veris habeat Euthyphro, ansam praebet argumento quod dicunt ad hominem. Neque sufficere si quod omnes dii diligant, id pium esse affirmaveris, quoniam accidens tantum pii sit ut diligatur. Denique postquam dictum est pietatem esse sacrificandi et precandi scientiam: cum hae res diis non utiles sed gratae tantum sint, redit prima definitio jam rejecta. — Protagoras veteres τελετῶν conditores primos sophistas fuisse contendens id recte monet, Orphicorum doctrinis et caerimoniis hominum mentes quodam modo ad philosophiam recipiendam praeparatas esse, quamquam mihi quidem ignotum est, quantum illae Platoni ipsi profuerint. Idem Protagoras fabulis de Prometheo ignem auferente, de Mercurio verecundiam hominibus afferente ad sententiam suam illustrandam utitur. — In Convivio quoque Plato mythica quae dicitur dictione in definiendo Amore utitur. Quem ubi alius antiquissimum, alius novissimum deorum esse contendit eumque Marte ipso fortiorem, Diotima a Poro et Penia Veneris natalibus procreatum fingit. In eodem opere inter Venerem Uraniam et Pandemon perperam distingui docet Pausanias I, 14, 6. 22, 3. At cum Plato nec de diis quidquam scire nos fateatur, nec de nominibus quibus se ipsi vocent, sed tantum de opinione, qua adducti homines illis nomina indiderint (Cratyl. p. 400): etiam si non deorum, quales a vulgo esse credantur, contemptim mentionem faceret, (Tim. p. 40) appareret fabulis eum uti, non quo veras esse doceat, sed tantum quo facilius progrediatur disputatio. Ceterum vim quandam religioni inesse ad mores aut excolendos aut corrumpendos ipse Plato in libris de republica ita significavit, ut fabulas de diis minus honestas, e. g. Saturni Jovisque in patres facinora, Junonem vinctam et caesam, Vulcanum de coelo dejectum II 377, deorum cachinnum III 389. Jovem vae exclamantem 388, Jovis Junonisque furta, Martem Veneremque vinctos 390, pueris tradi vetaret; multa ergo in vulgari quidem religione educationi obesse credidit. Leges saepe a diis repetit: a Jove et Apolline Legg. I 625, sed etiam a Minoe et Lycurgo 633, qui legumlator Jovis et Pythicus dicuntur. Fabulam Cretensium de Ganymede id sibi velle censet, ut secutos dei exemplum eadem voluptate frui liceat, 636. In toto de legibus opere multa de rebus sacris in perfecta re publica instituendis praecepta leguntur, quae etsi ostendunt quam studiose his rebus Plato animum adverterit, tamen, cum nostrae quaestioni non satis luminis sint allatura, hic inserere dubitavi.[93])

Aristotelem grato in religionem popularem animo fuisse constat, qui et uxori defunctae inferias constanter afferret, et in testamento statuas Jovi, Minervae, Cereri et Stagiris et Nemeae statui juberet.[94]) Quod autem impietatis accusatus est (id quod Socrati etiam accidit), videtur odio hominum in re publica ab eo dissidentium factum esse. Ex operibus deperdita sunt quae theologumena, de precibus, de animalibus mythologicis, πολιτεῖαι inscripta erant. Sed ea etiam quae exstant, ostendunt philosophum res divinas non indignas, ut nonnulli putant, habuisse in quas cogitationes curasque suas conferret.[95]) Μῦθοις enim id propositum esse censuit, ut rerum causas cognosceremus. Itaque in libris de republica jubet sacerdotes ex primo civium ordine eligi sumptusque

sacrorum a republica tolerari. Idem egregie ait nusquam nos verecundiores esse debere quam cum de diis agatur. [96]) Ortam esse religionem arbitratus est contemplatione eorum quae in animo et quae in coelo fierent; [97]) corpora enim coelestia re vera esse ea quae a priscis hominibus forma paene humana donata essent. In disputando interdum ostendit quantum sapientiae illis fabulis contineatur, quo facilius suam sententiam lectorum intelligentiae accommodet. Ita Thaletis doctrinam, qui aquam dixit initium rerum esse, jam illis theologis placuisse monet, qui Oceanum et Tethyn primos deorum fecerint. Adjungit mirum videri, quod nemo philosophorum terram secundum communem et Hesiodi opinionem initium rerum statuerit. Eundem affert testem ejus opinionis, qua fieri possit id quod quondam non fuerit. [98]) Vim quoque moventem, qualis est apud Anaxagoram mens, invenit apud Hesiodum Erotem. Refellit autem eos theologos quos ex nocte res generare dicit. Quaestio erat, primum omnium perfectum fuerit an imperfectum, ita ut sensim meliora post deteriora exstiterint. Utrique sententiae afferuntur qui adstipulentur, secundae vero poetae, qui mundum non ab iis gubernari doceant, quae ipsi antiquissima numina fingant, a Nocte, Coelo, Chao, Oceano, sed a Jove. [99]) Tum quaerit Aristoteles, qui fiat, si omnia eodem principio orta sint, ut alia sint mortalia, alia immortalia? Hesiodum theologosque satisfacere negat philosopho, cum dicant nectare et ambrosia fieri ut dii immortales sint: qui enim cibo egeant, eos aeternos credi non posse. Atlantis nomine videtur Aristoteli axis significari, qui in polis motum coeli efficere credatur. Catenam auream hoc monere ait, omnia a Jove pendere, ipsum motui et vicissitudini subjici non posse. Restat ut fabulas de singulis diis breviter tangam. Martis Venerisque amores merito a poeta fictos dicit, quia fortissimus quisque amori quam maxime indulgeat, tibiam a Minerva non tam propter faciei deformationem abjectam esse, quam quod ars tibina nihil conferat ad ingenii culturam, cui Minerva praesit. Alibi regiam dignitatem idcirco Jovi tributam putat, quod quando haec fabula fingeretur humanis civitatibus reges praeesse solerent. Verbis Sileni apud Midam editis: optimum esse non nasci, proximum quam primum mori, utitur tamquam testimonio, post mortem fore statum meliorem quam in quo nunc versamur. Denique cum judicet in mysteriis ne ipsos quidem initiatos quidquam didicisse, facile est cognitu, neque ipsius sapientiam multum ex illis profecisse. [100])

Ceterum qui de religione philosophati sunt, eos non propterea cum Heynio vituperaverim, quod non quaesiverunt qualis perfecta religio esse deberet, sed unde populi religio qualiscunque orta esset et „quomodo ad sanius hominum judicium attemperari posset“. Immo laude dignos existimo. Id enim quod assequi se posse videbant petierunt explorantes et originem religionum et usum quam maxime salutarem. Religionem qualis deberet esse quin sibi sapientissimus quisque effingere conatus sit non dubito. Verum invenire eam, quae et eruditorum mentibus et multitudini, minus veritatem quam excitationem aut tranquillitatem animi requirenti, esset adaptata, opus erat virium non humanarum.

---

[1]) Littera j tenenda videtur, quamdiu u et v distinguimus; discrimen enim utrimque idem est. [2]) Consulto feci ut de moribus aut emendatis aut corruptis tacerem. [3]) Opinatur fabulam de Typhone ad rebelliones referri, quae in monarchiis quandoque evenire consueverint; Cyclopes regum ministros esse saevos et sanguinarios, quos illi suppliciis afficiant et a rebus summoveant; quod dii Stygem testabantur spectare ad foedera principum necessitate potius quam fide obstricta. Conf. capita: Dionysus sive cupiditas, Proserpina sive spiritus, Cupido sive atomus. F. Baconi de sapientia veterum liber. L. B. 1683. [4]) de nat. d. I, 42. [5]) Controversum est num initio idem fuerit: Danckerus dubitat, affirmat Weickerus, negant alii. [6]) Cognomina Apollinis; postea heroum nomina. [7]) Dunck. III, 179. [8]) Heicks, de Helena dea, 1863. [9]) Dunck. III, 305. [10]) ib. 308. [11]) Commentt. Societ. Gotting. vol. VIII. [12]) Winiewski Progr. 1845. Curtius Festrede 1861. Roeth. Gesch. der griech. Phil. p. 595 sqq. [13]) Griech. Gesch. I, 449. Festrede 1861. [14]) „claudicantes“ textus habet, acerbius irridens, 1. Reg. 18. 26. [15]) Welcker Götterl. II, 129. [16]) Paus. VI, 26, 1. [17]) de rebus Alex. IV, 10: Jubente rege edita in vulgus Aegyptiorum vatum responsa rursus ad spem et fiduciam erexere torpentes. [18]) Char. XXV. [19]) quales sunt lauri folium ore gerere, in sinum spuere, sepulcra, noctuas, mustelas vitare, saepe lavari, sortilegos interrogare. [20]) Welckero debeo. [21]) Theoph.

l. c. [22]) Welcker. II, 143. [22a]) Cic. d. div. I, 58. [23]) Griech. Gesch. I, 392. [24]) quale fuit illud de Cyrene colonia condenda vel potius augenda l. c. p. 378. [25]) quamquam diversa nomina in usu versabantur. [26]) Curtius I, 402. [27]) Welck, II, 60. Roeth 370. 387. [28]) de quibus infra II, 3. [29]) Curt. I, 428. [30]) Nec in Christiano templo hunc arcum aliter interpretatur quidam apud Gelzerum, Monatshefte 1864 Jul. p. 44. [31]) I, 428. [32]) Welck. II, 420. [33]) Arg. II, 272. [34]) Laoc. IX. [35]) Welck. Götterl. I, 232. II, 105. [36]) Quintil. XII, 10, 8. 9. [37]) Gesch. der griech. Plastik. [38]) Nec meum existimo quaecunque de simulacris nota sunt, iterum enarrare, nec quae de mortis imagine Lessingius disputavit repetere. [39]) V, 21—24. [40]) De pictura haec addenda putavi. Fabulae deorum in templis ita depingebantur, ut picturae parietes cellae tegerent peripetasmatorum loco. Similes in aliis aedificiis occurrunt. Celeberrima erat pictura in Lesche Delphica, qua Polygnotus Ulixis descensum ad inferos coloribus reddiderat. Insunt homines sacris mysticis non initiati, (ut interpretatur Pausanias X, 31,) qui poenam hujus rei omissae pendunt aquam fractis vasculis ferentes. Winiewski Progr. 1849. Curtius Festrede 1861. Fusius de tota pictura Goethius vol. 44. [41]) Bernhardy Griech. Litt. I, 340. [42]) Volkmann. comm. ad Plutarch. de mus. p. 138. Ibid. multa de ceteris instrumentis. [43]) Ovid. Met. I, 711. [44]) Pind. Pyth. 3, 78. [45]) Volkm. 147. [46]) Volkm. 149. [47]) hymn. in Merc. [48]) Bernh. I, 344. [49]) apud Welck. II, 369. [50]) ib. p. 370. [51]) Roeth p. 513. [52]) Schwalbe, Ueber die Bedeutung des Paean 1847. [53]) de quo plura infra 4, a. [54]) Fundamentum doctrinae Roethianae hoc est, Pelasgos fuisse Phoenices, omnemque Graecorum culturam aut ab his aut ab Aegyptiis venisse. Eorum contra quae recens de Graecorum et Indorum religione ex eodem fonte repetenda scripta sunt, ne verbo quidem recordatur. Utinam vir rerum Aegyptiarum non minus quam R. peritus, quantum illi opinioni veritatis sit, disquirat. [55]) Roeth 509. [56]) excepto Jove Cretico. [57]) Schwalbio hic non adstipulor. Propter pestilentiam πόλις δ᾽ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει, ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων. Hic παιᾶνας ille negat esse preces, sed calamitate publica concentum civium tantopere disturbatum videt, ut caerimonias invicem repugnantes celebrent. At ubi terrarum fit ut propter calamitatem homines diis gratias agant? Praeterea particulae ὁμοῦ μὲν — ὁμοῦ δὲ docent bifariam tantum distribui sacrificia et preces; per τε καὶ autem opposita non indicantur. Ceterum Sch. ipse, ubi de antiquissimo verbi sensu disserit, ait (p. 6.): Als Paean wird Apollo angerufen, wenn man gegen Tod und Seuchen seiner Hülfe bedarf. Paean war ein Hülfe- wie ein Freudenruf. [58]) Loca apud Schwalb. p. 7 adnot. 11. [59]) Schwalb. p. 11. [60]) idem p. 12 primo hexametrum in usu fuisse arbitratur. [61]) Huc Hesiodi carmina didactica a Curtio referuntur. Is enim Delphica, ut videtur, sapientia imbutus populum primus ita docuit, ut qualia ante singillatim quaerentibus respondebantur, talia continua oratione traderet: quomodo vita hominibus cujusvis ordinis esset instituenda, quae de diis ab omnibus Graecis, non solum a cujusque regionis incolis essent credenda. Omnia humana divinae subjecit curae et custodiae (Curt. Gr. Gesch. I, 448). Propter deorum Jovem praecedentium enarrationem Hesiodus ab Aristotele inter theologos numeratur. [62]) Welck. II, 63. [63]) Omitto singula quippe notissima. [64]) id quod Klopstockii opere clarissimo confirmatur. [65]) Quae res num religioni noceat, ut philosophi arguunt, hic non quaeritur. [66]) Cic. off. III, 7, 34. [67]) quamquam a dea amatos ideoque non viles homines fuisse facile sibi quisque persuadet. Bene autem Achillem invulnerabilem non finxit Homerus ut posteriores. [68]) Σ 239. Comparetur quod apud Josuam 10, 12 narratur. [69]) Haud omiserim fabulas de Apolline tela mortifera cum clangore arcus Achivis immittente et de Jove Hectoris et Achillis fata trutina examinante. [69a]) Leucotheae erat: Arist. Rhet. II, 23. [70]) Welck. II, 575. 648. [71]) a Clemente Alex. commemorata, v. Haym de rerum div. ap. Aesch. conditione. [72]) Nisi vera sit Lobeckii de δᾳδουχίᾳ in fine Eumenidum conjectura a plerisque rejecta. [73]) de rep. II sub f. Conf. Droysen Uebersetz. des Aesch. p. 501. [74]) Haym. p. 1. 22. Droys. p. 555. [75]) Haym. p. 25. [76]) De ea quae in Prom. vincto apparet Jovis duritie et injustitia alii aliter judicant. Fortasse volebat docere poeta, a vulgatis fabulis mentem esse revocandam fidemque iis denegandam (Welcker); aut studebat ea quae repugnantia ac contraria viderentur, quomodo conciliari possent, ostendere; in qua de re, deperdito Prometheo soluto, nihil certi statui potest (Winiewski Rel. der Alten auf Gelehrtenschulen). [77]) Ita cum Hermanno et Haymio contra Müllerum rem intelligo. Haymius censet, si non jus strictum, at superiorem quandam justitiam servari. Ut condonetur istud scelus: qui laudabile possit videri, hoc certe non intelligo. [78]) Lübker, Zur Theol. des Eur. 1863. [79]) Welcker. II, 90. [80]) Orest. 966. Alc. 1128. [81]) Med. 1000. 1197. Iph. T. 541. 680. [82]) propter Silenum laudato. [83]) quem Euripidi abjudicandum mihi non persuasi. [84]) Similis exitus atque in Iphig. Taur. [85]) Vorles. über dramat. Kunst 1809. I, 244. Singularis, ut id addam, deorum usus in veteri comoedia invenitur. Dii risum movent stultitia, ignavia, voracitate, ut Triballus, Bacchus, Hercules; imperio cedere ab avibus coguntur. At Bacchum in Ranis populi Attici loco produci constat, cui in theatro de poetarum operibus judicandum est, quemque post errores ad sanam mentem rediturum poeta sperat. Mythologiae Dionyso dissimilis ille vitae quotidianae vitia quasi speculo exhibet. Similia in comoedia Siciliensi occurrunt. Welck. II, 97. [85a]) Omittitur caput 2. de historia. [86]) Cic. Acad. II, 37. [87]) Arist. Rhet. II, 23. Roeth. p. 225. [88]) Roeth. p. 299. [89]) p. 609. Adversariorum princeps est Lobeckius, qui Onomacritum auctorem habet. [90]) Phaedon. s. f. [91]) Mem. I, 1. [92]) ἀργή Duncker III, 39 tantum epitheton est. [93]) Sufficiet adnotasse paginas II 653 de diebus festis, 666 de precibus, VI 757 de sorte, 759 de sacerdotibus (766. 744.), 782 de sacrificiorum origine, 796 de victu Orphico, 821 astrologia repugnat religioni, 848 de templis condendis, 854 de sacrilegio, 856, 865, 877, 914 de dei Delphici auctoritate, 946 de Solis et Apollinis agro sacro, 947 quomodo sacerdotes eorundem sepeliendi. [94]) Zell, Ferienschriften, neue Folge I. [95]) Zell p. 300. [96]) Sen. Q. N. 7, 30. [97]) Zell 309. [98]) Zell 333. 335. [99]) l. c. 338. [100]) Heyne in comm. societ. Gotting. VIII b. p. 24. Zell 340. 342. 346. 349. 352. 376.